PA 2337
.S5 B7
Copy 1

PA2337
.S5B7

QVEMADMODVM
IN IAMBICO SENARIO ROMANI VETERES VERBORVM ACCENTVS CVM NVMERIS CONSOCIARINT.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM THEMATIS

DIE VIII. MENS. AVGVSTI A. MDCCCLXXIV

HORA XII

IN PVBLICO DEFENDET SCRIPTOR

33

OSCAR BRVGMAN
WISIBADENSIS.

83991

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

FELIX HETTNER, STVD. PHIL.
GVSTAVVS HEYLBVT, STUD. PHIL.
CHRISTIANVS BAIER, DR. PHIL.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.

[1874]

PA 2337
.S5 B7

FRANCISCO · BVECHELER

HERMANNO · VSENER

S.

In scaenicorum poetarum Latinorum valuisse verborum accentus inter multos viros doctos inde a Bentleio constitit vel constat. Ille cum observavisset in mediis senarii Terentiani pedibus verba quaedam rarissime ita occurrere, ut ultima syllaba ictu versus percuteretur, consulto a poeta verborum accentus cum numerorum rationibus esse consociatos contendit (Sched. d. metr. Ter. p. XVII). Neque ab eo recessit G. Hermanni iudicium (elem. doctr. metr. p. 141.) nec Fr. Ritschelii, qui proll. CCVII. hanc rem sic explanavit: „nam tanquam acu res ita demum tangitur, ut etiam veteris comoediae tragoediaeque arti metricae pro fundamento fuisse quantitatis observationem intellegatur; cum eius autem quantitatis severitate summa accentus observationem, quoad eius fieri posset, conciliatam esse." Cur non omnibus locis accentus consentirent, caussam fuisse quantitatis rationes, quibus verba paroxytona vel proparoxytona in lingua Latina creberrima in versus fine non admitterentur, nisi in ultima barytona accentum rhythmicum ferrent. Discernuntur ab eo tria tempora poeticae Romanae [1]), quorum primo utrique accentus concinuerint, altero pugnaverint inter se accentus verborum et quantitatis rationes, tertio hae solae valuerint. Quamquam non defuere qui obloquerentur, velut Ritterus, Boeckhius, Weilius Benloewiusque, graviora tamen horum sententiae subsidia Corsseni disputationibus adlata sunt. Is quidem, ut Ritterus ceteri, poetis inscientibus congruentiam duorum accentuum effectam esse statuit caesuris semiquinaria et semiseptenaria, quae ita in versum inciderent ut verbum trochaicum vel trochaeo fini-

1) cf. Mus. Rhen. VII. 588.

tum anteire oporteret. Ritschelii autem sententiam omnesque leges ab eo inventas se redarguisse putat, si tria illa tempora poeticae Romanae revera non fuisse demonstraverit. Quapropter e nonnullis fabulis Plauti vel Terentii trecenis versibus sumptis numerat, quotiens omnino in iis accentus numerorum et verborum discrepent, totidemque posterioris aetatis versibus eadem ratione tractatis numerum vel parem esse invenit vel in his non numquam minorem, quam in illis. Itaque sine dubio convicit tertium illorum temporum non fuisse; prorsus tamen errat, si omnia illa tempora his nisus ficticia esse dicit et quae alia Ritschelius statuit, velut quod verba spondiaca alterius tertiive pedis senarii similia corrigi iubet. Quae si probare voluit, non debebat in versibus aliorum temporum ab aliis poetis factis discrepantias accentuum summatim numerare, sed quotiens in singulis pedibus apud eundem poetam in eodem versus genere verba spondiaca anapaestica cetera occurrerent. Tunc demum si in iis locis ubi poetas congruentiam quaesivisse Ritschelius contendit, haec verba totiens quotiens in aliis invenisset vel tanto numero, ut de corruptione singulorum exemplorum cogitari nequiret, revera eum redarguisset. Quorum quia nihil suscepit, Ritschelius autem et Fleckeisenus leges in prolegomenis statutas postea non ubique adhibuerunt, alii denique ut Brixius in his rebus prorsus haesitant, totam quaestionem iterum tractari necesse habeo, ita quidem ut omnibus omnium fabularum versibus excussis unumquodque verbum enotetur, cuius accentus cum rhythmo versus discrepet. Quibus factis diiudicare poterimus certis nisi numeris, quid vetitum quid permissum fuerit antiquis poetis. Opus autem tam operosum cum brevi tempore absolvi non posse appareat, in senario solo disquirendo me cohibui, perscrutatus Plauti et Terentii fabulas, Comicorum, Tragicorum, Lucilii Varronisque saturarum reliquias, Syri sententias, versus quos Cicero ipse fecit aut ex graeco vertit, denique ut toti quaestioni firmius fundamentum iacerem, inscriptiones

iambicas quas Buechelerus collegit ind. lect. Gryph. 1870. et Mus. Rhen. XXVII. 127 sqq. [1]). Quod vero inscr. XLII—XLVI omisi, nemo non probabit, ut quas ab hominibus rei metricae prorsus ignaris factas esse fere unusquisque versus clamet. Summa autem omnium senariorum a me inspectorum haec est: Plautinos numeravi 8035, Terentianos 3303 (quibus numeris etiam argumenta fabularum continentur), e Tragicorum fragmentis 717, Comicorum 489, Lucilii 86, Varronis 134, Ciceronis 117, Syri sententiarum 598, inscriptionum denique 385.

Iam vero ut ad singula transgrediar, primum ea verba tractabo, quibus unus tantum pes expletur. Initium faciant

VERBA IAMBICA,

quae quotiens in singulis locis occurrant ex his videbis:

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
Inscr.	27	7	0	28	0	172
Plaut.	344	169	29	473	37	3656
Terent.	115	118	19	101	5	1339
Com. frg.	31	19	4	32	2	270
Trag. frg.	39	7	1	10	3	305
Lucil.	4	4	0	2	0	37
Varr.	9	6	0	9	1	38
Cic.	2	0	0	2	0	45
Syr. sent.	56	32	3	51	0	264

1) quibus nunc accedunt editae in Corp. Inscr. III. 6416. V. 4078., quas una cum illis in quaestionem vocavi. Serius quam ut in numeris adhibere possem, innotuit mihi titulus, qui in scidulis inscriptis: „Brevi Osservazioni sopra alcune antiche iscrizioni trasmesse alla Comissione“ pertinentibus ad acta collegii archaeologici Campani Casertae a Minervino nunc primum p. 2 editus est; cuius in fine hi versus extant:

hospes resiste et, nisi molestust, perlege
noli stomacare, suadeo, caldum bibas

accedunt verba extra versum posita: *moriundust vale.*

Atque ex his numeris conspicuum est omnes versus, ubi voces iambicae in tertio et quinto pede leguntur, in suspicionem esse vocandos praesertim cum tituli nullum exhibeant exemplum. Quare necesse erit singulos locos accuratius inspicere. Eximendi videlicet sunt:

Epid. III. 3, 41. *res magna amici apúd forum agitur.*
ei volo.

Haut. 852. *immo haec quidem quae apúd me est, Clitiphonis est.*

ib. 921. *Menedeme, non sum apúd me.* || *tene istuc loqui!*

quia ut Quint. I. 5, 27. testatur praepositio cum nomine suo in unam vocem coalescere solet[1]). Dein

Pseud. 454. *bonus animus in malá re dimidiumst mali.*

Merc. 692. *parumne hoc est maláe rei, quod amat Demipho*

Namque etiam *mala res* quasi unum verbum est eiusdem notionis ac *malum.* cf. Luchs. Studem. Stud. I. p. 26. Nonnullis locis in aliis libris alius verborum ordo traditur ut:

Eun. 501. *fac cures, si Chremés huc forte advenerit*

sequendi nimirum sunt codices optimi rec. Calliop. DG, qui exhibent: *fac cures, si forte huc Chremes advenerit.*

Eun. 97. *eo feci: sed ita erát res, faciundum fuit*

D: *res erat.* Fortasse Ioannes Sarisb. policr. VIII, 3 genuinum servavit: *sed ita res est;* cui tamen cum haud magna in his rebus fides habenda sit, scribi malim: *eo féci: sed ita ut érat res* e. q. s.

Andr. 442. *etenim ipsus secum eám rem reputavit via.*

libri plerique: *ipse* (D *ipsus*) *secum eam rem.* Unus ex Bentleianis et Leidensis No. 109. saeculi X aut XI, quem ipse contuli: *secum ipse eam rem,* alter Bentleianorum: *ipsus eam rem secum.* Scribendum igitur: *etenim ipsus eām rem secum*

---

1) Andr. 745:

quid turbaest apud forúm? quid illi hominum litigant?

inter ea verba tractandus erit, quae unius pedis metrum excedunt.

reputavit via. Dein propter alias caussas verba iambica e tertio loco vel iam amota vel amovenda sunt, velut Ritschelius correxit

Bacch. 344. *id mihi haud, utrum velím, licere intellego*
Men. 300. *quia amicam habeas erám meam hanc Erotium*

quos versus nemo defendet. Idem

Trin. 206. *quod quisque in animo habét aut habiturust sciunt*

propter *habét* in priore editione scripsit: *animo aut hábet,* quod ego probem, in altera: *animod hábet.* Men. 40 Ritschelius et Capt. 364 Fleckeisenus bisyllabi *huïc* caussa verba transposuerunt. Eun. 940 Bentleius ob linguae usum emendavit:

nosse omnia haec salutist adulescentulis

libri: *salús est.* Locis quos affert, addi possunt Asin. 192. Epid. V. 2, 11. Poen. V. 3, 18. Recte offendit Geppertus in librorum scriptura

Epid. III. 4, 41 *produci intus iubés?* || *haec ergost fidicina*

quod tamen proposuit: *intus produci iubes* minus placet propter correptam syllabam alteram vocis *iubes.* Talia enim ne in versus inferamus cavendum est, cum aliae viae patent. Propono: *intus iubes produci.* Rud. 127 caret caesura ideoque Fleckeiseni transpositio probanda est:

nam propter eius modi ego viros vivo miser

codd.: *nam ego propter eius modí*

Merc. 305 Ritschelius edidit:

tun capite cano amás, homo nequissume?

Recte quidem sensisse mihi videtur *senex* quod libri exhibent, valde frigere antecedentibus verbis *capite cano.* Sed ex Ambrosiani scriptura: SENEXNEQVISSIMEHOMO apparet cum *senex* tum *homo* ab interpolatore profecta esse. Ad supplendum igitur versum propono:

amas? tun capite cano amas, nequissume?

Trin. 794 versus 810 caussa necesse fuit scribere:

apud portitores eas resignatas sibi

quod codices exhibent: *apud portitorem eás* quem ad modum ortum sit, facile intellegitur. Multis enim locis, qui huc spectant, vox iambica ea est, quae vocalibus duabus in unam coniunctis monosyllaba fieri potuerit. Quae synizesis cum in poesi posterioris aetatis non admitteretur, facile accidit ut librarii vel recensores bisyllabam formam inducentes voculam omitterent aut aliquid mutarent veluti:

Cist. II. 3, 26 *ne deserat se: eám suam esse filiam*

Ritschelius commendat *sed* (nov. exc. plaut. p. 51.). Etiam *sese* genuinum esse potest. Muellerus autem (pros. p. 738.) servari vult, quae traduntur; si quis mutare velit, scribi: *ne deserat se: nam eam* e. q. s.

Truc. I. 1, 67 *venturus peregre: eó nunc commentast dolum*

A Ritschelio propositum (nov. exc. plaut. p. 89.): *peregred* ideo stare nequit, quia peregre ablativum esse minime constat. Melius Muellerus (pros. 486.): *eo hunc nunc.*

Trin. arg. 6 correxit Ritschelius in proecdosi:

minus quo cum invidia det ei dotem Callicles

librorum autem scriptura: *invidia eí det* defendit altera in editione exemplo Epidici arg. 3, quem versum corruptissimum cum proximis editores sic scribunt:

iterum pro amica eí subiecit: filio
dat erili argentum. eó sororem destinat
imprudens iuvenis.

Primum enim aegre ferendum est *subiecit* perfectum, siquidem in argumentis semper praesens invenitur. Dein quicunque fabulae ignarus hoc legerit, putabit servum conducticiam subiecisse, ut esset amica senis. Genetivo igitur opus est, quo appareat filii eam esse amicam, quem eundem desiderantes librarii in exitu versus *filio* in *filii* mutavisse videntur. Quare proposuerim:

iterum pro amica gnati ei subicit: filio

v. 4 pro *eo* scribendum est *quo.*

Mil. 484 *nam egomet cubantem eám modo offendi domi* Ritschelius ipse correxit Stichi praef. p. XVIII.

Turp. 129 edidit Ribbeckius:

hoc quaero, ignoscere

istic solentne eás minoris noxias

Kiesslingii emendatio *meas* recipienda fuit, quae sensu quoque flagitatur. codd.: *solentne as.* Idem nunc recte scripsit inc. nom. rell. fab. At. 7. p. 275: *ei vi*, quod Vaticano codice *ennius* exhibenti comprobatur.

Most. 774 libri et editiones:

ipse aedificato || eón? voco huc hominem? || i, voca aedificatod Plautum scripsisse vix credibile est; proposuerim: *eon? vín vocem huc hominem?*

Truc. III. 1, 11 *fuit edepol Mars meó periratus patri Mavors* forma si apud scaenicos occurreret, facillime versus sanaretur. Quae cum nusquam legatur[1]), verba transponenda sunt, ita tamen ut parechesis servetur:

edepol fuit Mars mẽo periratus patri

Naev. Com. frg. 70 *visam deo meó propitio meus homo est* scribendum erit ex Buecheleri coniectura, quae propius abest a libris Ribbeckiana:

mussa. deo mẽo própitio hic est meus homo

Cas. II. 8, 74 *nostro omine it diés iam victi vicimus*

---

1) Plauto eam vindicaverunt Mil. 1414 et Bergkius (Hal. progr. 2. Aug. 1862. p. 5) *iuro per lapidem et Mavortem* proponens, et Studemundus qui (Herm. I, 305.) *iuro per Iovem et Mavortem* scribendum putavit. Nunc Bergkii ingeniosa sane coniectura reicienda est, quoniam Studemundus in Ambrosiano *per Iovem* legit, quod idem Palatinorum archetypus habuisse videtur. Illud d enim scripturae *ꝑdam* vel *ꝑdum* littera unciali O in D depravata ortum est. Restituendum censeo: *per Iovem atque Martem*, quod haud paullum D codicis scriptura confirmatur.

dies per synizesin (ut Bacch. 1203, Pseud. 241: *it dies*) legas scribasque: *nam iam victi vicimus.*

Trin. 402 proposuerim:

minus quindecim dies sunt, quom tu pro hisce aedibus

codd. ommittunt *tu.*

Iam vero postquam vidimus, quam incerta sit multorum horum locorum scriptura, etiam qui restant, mutare licebit, si leni modo fieri potest.

Curc. 17 *caruitne febris te herí vel nudius tertius*

Ritschelius sanavit nov. exc. plaut. p. 36 *ted heri* proposito.

Trin. 734 scribi velim:

parata dos est domi, nisi expectare vis

libri: *dos domíst.*

Considerantibus *est* per aphaeresin non per synaloephen cum antecedenti voce consociari, nobis persuasum erit *domist* eodem accentu pronuntiatum esse, quo *domi.*

Pseud. 29 Muellerus correxit (nachtr. z. pros. p. 70):

an obsecro hercle, habentne gallinae manus?

codd. exhibent: *habént quas.* Poteras etiam:

an habent quas, obsecro hercle, gallinae manus?

Capt. 668 *tuus sum, tu has quidém vel praecidi iube*

Fleckeisenus *mihi* inseruit post *quidem*; facilius scribas: *hasce quídem.*

Poen. III. 4, 29 *quantumquantum ad eum erít* delatum ||
quippini?

sanatur *huc* verbo post *ad eum* interposito.

Cas. prol. 41 propono:

puellulam exponi. adit extemplo ad mulierem

libri: *puellam.* Non ignoro *puellula* verbum primum apud Terentium (Phorm. 81.) legi; sed Casinae prologum initio demum saeculi VII u. c. compositum esse Ritschelius demonstravit.

Eun. v. 160 a Bentleio emendatus est:

nisi si illum plus quam me amas et istam nunc times

codd.: *plus amás quam me.*

Andr. 774 libri exhibent:

suam gnatam non dabit, tanto hercle magis dabit

Terentio *noenu* formam vindicare si minus placet, transponas velim: *gnatam suam non dábit* e. q. s., quo etiam illud vitium sive inelegantiam tollimus, quod *dabit* in uno eodemque versu bis eodem modo acuitur.

Ad. 389 scribendum censeo:

est iam intus? || eho, an est dómi habiturus? || credo ut est

codd.: *domíst habiturus.*

Hec. 701 melius sic fluit:

omnibus modis iam miser sum, nec quid agam scio

libri: *omnibus modis misér sum* e. q. s.

Andr. 717 *summum bonum esse eraé putavi hunc Pamphilum*

Bentlei coniectura, quippe qui *esse erae deputabam* scribens *esse erae* anapaestum esse velit, improbanda est. Reponendum autem: *esse erae hunc putavi Pamphilum.*

Ad. 470 transponi velim:

amor persuasit, nox, vinum, adulescentia

codd.: *persuasit nox amór* e. q. s.

Acc. 280 R. *petere a me id, quod nefás sit, concedi tibi* restituas: *quod non fas sit.*

Turp. 55 *quam matris nunc patrís me miseretur magis*

Melius Grautoffius: *patris quam matris tum* e. q. s.

De Syri sententia 463 infra agetur, v. 529 iam Buechelerus emendavit.

Ad. 82 *quid tristis es? || rogas me, ubi nobis Aeschinus siet, quid tristis ego sim? || dixin hoc fore?*

quem locum graviter corruptum Ritschelius proll. p. CXX sic restituere conatus est:

rogas me? ubi nobis Aeschinust?
scin iam, quid tristis ego sim? e. q. s.

Priore versu sine dubio *rogasne* scribendum est. Eodem loco ille de fabularum Terentianarum traditione haec docet: „nam in Terentio quidem tam aperta plurimis locis est quam

in Plauto rara fuit correctricis manus opera in refingendis resarciendisque versibus consumpta, eaque ex antiquiore aetate repetenda quam qua ipse Bembinus liber scriptus est". Cui iudicio ad verbum subscribo. Neque hoc mirum in scriptore, quo praeter Vergilium vix alter magis in scholis tractabatur. Etiam nobis in disputationis progressu manifestum fiet, quantopere recensores poetae verba depravaverint. Felici autem casu saepe contingit, ut praeterea quod accentuum ratio non habita est, etiam alia corruptelae indicia adsint.

Eun. 832 *scelesta, ovem lupó commisti; dispudet*
sic mihi data esse verba e. q. s.

omnes codices et Terentii et grammaticorum qui locum exscripsere, praebent: *commisisti*, qui consensus tam mirus est, ut equidem non putare nequeam sic Terentium scripsisse; *lupŏ cómmisisti* tamen commendare non ausim. Potius ex Nonii (p. 249) et scholii Horat. (carm. I. 3, 11.) testimoniis: *ovem commisisti lupo* apparet iam antiquitus verborum ordinem non constitisse. Idcirco facili transpositione versum corrigam:

scelesta, lupo ovem commisisti; dispudet

cf. Poen. III. 5, 31: *lupo agnum.* Sed ne sic quidem omnia plana sunt. Recte enim haec verba Thaidem ad se ipsam, non ad ancillam loqui Bentleius iudicat, cuius caussis eam addam, quod Thais conviciorum Pythiadis gradatione usa est: v. 1. *pergin scelesta*, v. 9. *quid ais, venefica*, v. 13. *quid ais sacrilega. Scelesta* igitur ad ancillam dictum sine vi subsequitur. Sed hanc ob caussam *commisisti* in *commisi* mutes non oportet. Nam nos quoque in enuntiatis similibus, si nosmet ipsi vituperamus, altera persona utimur. Quare commate deleto scribendum:

scelesta lupo ovem commisisti! dispudet

Andr. 783 libri:

quis hic loquitur? o Chremés, per tempus advenis.

Donatus autem exhibet Phorm. II. 3, 28: *o Chreme per*

tempus hic advenis. Dein nuper Fleckeisenus (in ann. suis 1873. p. 504.) ostendit iis locis ubi apud Plautum *per tempus advenire* vel *subvenire* legatur, accedere dativum *mihi.* Fortasse hic quoque *mihi* intercidit et *Chremes* vocativus interpolatori debetur (cf. 533: *o, te ipsum quaerebam.*), ita ut sic fere poetae verba recuperemus:

quis hic loquitur? o, per tempus mihi tu hic advenis!

Andr. 801 *quem video? estne hic Critó sobrinus Chrysidis?* proposuerim: *est ne hic, quem video, Crito* e. q. s. cf. Eun. 848: *sed estne haec Thais, quam video.*

Phorm. 134 *illa quidem nostra erit || iocularem audaciam* melius fluit, si scribitur:

illa quidem erit nostra || o iocularem audaciam

Restat e Terentianis locus graviter corruptus Haut. V. 63:

aut plus eo ut conicio: agrum in his regionibus
meliorem neque pretí maioris nemo habet

v. 64 praeter verbum iambicum tertii loci nihil est, quod suspicionem moveat. Sed antecedentia *agrum in his regionibus* male in versum coeunt. Metri vitium ut tollerent Fleckeisenus et Wagnerus scripserunt: *agrum his regionibus* contra usum comicorum peccantes cf. Eun. 1062, Trin. 872. Quare quod Buechelerus, praeceptor optimus, mihi suasit, *agrum* verbo in versum sequentem translato restituendum est:

aut plus eo ut conicio, in his regionibus

v. 64 vero *agrum* verbo auctus vario modo scribi potest. Proxime autem ad verba tradita me accedere puto coniectantem:

meliorem neque maioris preti agrum nemo habet

Scilicet postquam *agrum* e versu eiectum est, transposuit recensor: *preti maioris.*

Pers. 410 *procax rapax trahax! trecentis versibus*
tuas impuritias transloqui nemo potest.

quamquam hic verbum quodammodo excusatur voce contumeliosa alia aliam trudente, nescio tamen an fieri po-

tuerit, ut *trahax* quasi una syllaba pronuntiaretur.[1]) Quod si concedes, facile scribas:

procax rapax trahax! ter trecentis versibus

Denique Syri sent. 361:

malam rem cum velis, honestatem improbes

vilem sententiam numeris fractis esse recte Ribbeckius adnotat. Certe ex fabrica recentioris hominis prodiit.

Non nullis locis editores demum vocem iambicam versui intulerunt, veluti Merc. 257 Camerarium secuti scripserunt:

navem ex Rhodo qua herist advectus filius.

Anteferendum esse apparet, quod Ritschelius in notis dubitanter protulit: *qua heri huc advectust.* Fleckeisenum auctorem habent voces iambicae tertii loci Amph. 909, quem versum Ritschelius (Op. II. p. 432.) emendavit et Rud. 455, ubi Muellero hiatum tollenti (nachtr. z. pros. p. 83.) adstipulor.

Caec. 36 edidit Ribbeckius;

nam nobis quidem novós repertu's Iovis deus

libri exhibent aut *nobis quidem* aut *novus quidem* et in fine versus: *deus repertus* (vel *repertus est*) *Iovis.* Cum b et v litterae in libris saepissime confundantur, utrumque *novus* et *nobis* vix recipiendum, sed hoc ex illo ortum esse videbitur. Senarium sanum efficimus vocula inserta velut:

nam nobis quidem iam deus repertus est Iovis.

Improbandus etiam senarius est, quem Ribbeckius (Enn. 345.) Coroll. trag. frg. p. XXXV protulit:

et quis illaec quae stolá succinctast lugubri

meliorem leniore mutatione sic assequeris:

et quis illaec lugubri quae succinctast stola.

Praeter tertii loci verba iambica etiam quinti rarissima esse ex numeris supra allatis videre licet; cuius tamen rei

[1]) quod facile fieri potuisse Buechelerus privatim me commonefecit, si poeta ad Thraces adludere voluerit, quorum perfidiam et nequitiam comici graeci proverbiaque commemorarant. cf. Meinek. Men. et Phil. rell. p. 257 et 60.

caussa non in accentu verborum cum numeris conciliando, sed in rhythmi natura posita est. Idcirco et propterea quod Luchsius Studem. Stud. I. 1—75 iam totam hanc quaestionem tractavit, hic eam omitterem, nisi mihi iam ante Studia illa edita de his rebus quaerenti alia constitisset sententia. Etenim quoniam senarius, septenarius troch., octonarius iambicus semper in iambum exeunt, auribus sensuique rhythmus iam in paenultimo pede conclusionem quandam adeptus esse videretur, si ille pes simul iambicus esset simul per incisionem a sequenti separaretur. Atque si hanc ob caussam paenultimo loco iambum raro legi concesseris, lex quam poetae observaverunt hoc modo definienda erit: si ultima versus vox est iambica, verba quae praecedunt, non ita se habere licitum est, ut iusta iis conclusio versus formari possit. Verum his nos assecutos esse exempla ipsa docebunt. Tum enim iambum admissum invenimus, cum versus finitur verbo non minus quattuor syllabarum velut *potissimum*, *matrimonium*; dein si cretico verbo finis efficitur ut *surrupuisse suspicer*, *Lesbonice cogites*, qualia Luchsius, qui omnino iambum evitatum esse statuens *pepercerant*, *surrupuisse suspicer* inter exceptiones refert (cf. p. 6.), male explicat. Putat enim apud verba *surrupuisse suspicer* similia propter caesuram „sermonis interstitio quasi addi tempus unum deficiens“ (p. 7.). Cui ille persuadebit substitisse vocem in fine versus, ubi celerior fieri solet? Ad illas exceptiones alias duas accedere idem contendit p. 13: „neque enim reformidabant iambum, si numerorum varietate rhythmique celeritate quasi furtim sese insinuat, hoc est si thesis pedis antepaenultimi duabus brevibus syllabis ita efficitur ut

I. verbum paeonem quartum efficiens verbo iambico excipiatur = | ⏑ ⏑ ⏑ – | ⏑ – ||.

II. ut vocabulo in syllabam brevem desinenti succedant primum anapaesticum verbum dein verbum iambicum = ⏑ | ⏑ ⏑ – | ⏑ – ||.“

Iam ut de altero genere primum loquar, cuius sunt versuum exitus tales:

Pers. 733. *ne égo hodié tibi*

Poen. II. 52. *ex hoc die ín aliúm diem*

Capt. 362. *erús operám dare*

similes affert plus quam quinquaginta locos.[1]) Hanc autem verborum consociationem nulli offensioni fuisse antiquis inde elucet, quod versus in *ne ego hodie* vel *die in alium* similiter finitos non reperies, nisi verbum anapaesticum cum antecedenti in unum quasi coaluerat. cf. Ritschelii proll. CCLXXXVIII, Kochii diss. Bonn. 1851. p. 36. Prioris autem generis fere decem exempla attulit ut:

Amph. 188 *legiones réveniunt domum*

Curc. 86 *quem non récipiat mare*

quae si hucusque recte disputavimus, omnia in suspicionem cadunt. Saepissime enim versus terminantur vocibus quae proceleusmaticum vel paeonem quartum aequant ut *reveniant, mulierem.* Tentemus igitur locos illos accuratius.

Aul. 196 *ego istos novi polipos qui ubi quidque tetigerint tenent*

Luchsius ipse *tetigerunt* scripturam nonnullorum codicum praetulit. Neque aliis plerisque locis traduntur quae in editionibus legimus.

Amph. 983 *atque ut ministres mihi, quom sacruficem mihi*

B codex exhibet secundum Pareum: *quom mihi sacrificem* Scribendum igitur:

atque ut mihi ministres quom mihi sacrificem.

Most. 57 *stimuleis ⟨terebris⟩ huc si reveniat senex*

in codicibus extat: *si huc*; quare si transponatur necesse est, sic transponamus:

stimuleis ⟨terebris⟩ si reveniat huc senex

---

1) Fugerunt eum, qui huc pertinent Cist. I. 2, 29. Truc. I. 1, 26 et 28. II. 4, 14.

Sed totum versum e glossematis ortum esse recte iudicavit Bothius.

Etiam Poen. prol. 27 coniectura demum effectum est:

si minus curassint, quom eri reveniant domum

traditur: *veniant*. Syllaba quae versui deest, sic fortasse suppleri potest:

si minus curassint quid, quom eri veniant domum

Rud. 1247 *ne conscii sint ipsi malefici suis*

apud Fleckeisenum legitur ex coniectura Gulielmi, quam Ritschelius Op. II, 720 comprobavit, nisi quod *sibi* maluit quam *suis*. Codices exhibent: *maleficiis suis*. Proposuerim: *malefacti sibi*.

Rud. 43 *eam vidit ire e ludo fidicino domum*

Traditur: *fidicinio*, quod Luchsius recte teneri vult, quamquam equidem talem proceleusmaticum *fídicinió* umquam poetas admisisse persuadere mihi non possum. Transponendum erit:

eam vidit ire domum ludo e fidicinio.

Afr. 100 *o, quam beatae scenicae videntur mulieres mihi* libri: *videntur mihi mulieres*. Quare restituendum censeo: *scaenicae mihi videntur mulieres*.

Neque quod Ribbeckius Pac. 172 et 410 scripsit, libris traditur, quorum priorem versum Buechelerus correxit, in altero cum Usenero faciendum est.

Phorm. 507 *nam neque quo pacto a me amittam neque uti*
retineam scio

interpolatori debetur. cf. quae comment. Bonn. p. 98 de hoc versu dixi.

Etiam huius generis Luchsium non nulli loci fugerunt:

Epid. III. 4, 3 *incertus tuom cave ad me retuleris*
pedem

ubi *rettuleris* scribatur oportet.

Capt. arg. 4. *tantum studens ut gnatum recuperet*
suum

libri omittunt *suum*, quare tale quid restituendum esse puto:

tantum studens ut gnatum captum recuperet.

Bacch. 220 Ritschelius:

nam istic fortasse aurost opus. || *Philippeo quidem.*

codices: *aurum* vel *auro est opus.* Scriptura Ritschelii etiam propter verbum spondiacum tertii pedis stare nequit. Utrumque vitium tollitur, si scribimus:

nam istic fortassis auro opust. || *Philippo quidem.*

Restant quattuor exempla quae postquam illos locos non tradi in codicibus vidimus sicut in editionibus leguntur, nemo iam sollicitare dubitabit:

Amph. 188:

victores victis hostibus legiones reveniunt domum

transponi volo: *reveniunt legiones domum.*

Curc. 86 *quisnam istic fluviust quem non recipiat mare?* scribas: *fluvius est, quem non recipit mare,* vel si subiunctivum necessarium putes:

quisnam istic fluvius est, quem mare non recipiat.

Acc. 618 *profecto hauquaquam est ortus mediocri satu* iam Luchsius (p. 15) proposuit: *mediocri est ortus* vel *mediocri ortus est.*

Men. 550 Ritschelius:

iamne abiit intro? abiit, operuit foris

post *intro* aliquid erasum in B codice. Initium ad similitudinem versus 333: *iamne abiit? abiit* sic constituendum erit: *iamne abiit? abiit intro.* Exeunte versu pro operuit legimus in Z *obtrudit.* Tamen ne *operuit* glossema arbitremur, obest quod hoc solo loco *operire foris* apud Plautum reperitur, a quo alias ferme hoc verbum de capite velando usurpatur. Fortasse autem ei *operivit* formam vindicare licet. Namque etiam futurum a stirpe *operī* formatum invenitur (*operibo* Pomp. B. 147.). Totus igitur versus sic scribendus erit:

iamne abiit? abiit intero, operivit foris

(cf. Buecheler. Fleck. ann. 1869. p. 486) vel: *intro et operivit foris.*

Truc. II. 6, 58 sine dubio Buechelerus emendavit, quod ad sensum attinet Fleck. ann. 1872. p. 572.

et iam nihili pendit purpuram. eccum ex Arabia tibi adtuli tus, Ponto amomum e. q. s.

ad metrum restituendum leni hac mutatione opus est: *ex Arabia eccum tibi*, si quidem Plautum probabile non est praeter paeonicam mensuram adhibuisse simul choriambicam dactylicis acceptam. Neque eidem adstipulari possum Tit. 131 talem senarium proponenti:

conservum lassitudo, rediviae flagri.

Denique eadem ex caussa stare nequit Valckenarii coniectura a Ribbeckio trag. frag. ex inc. inc. fab. v. 143 probata:

avarum est mulierúm genus

libri: *mulierum genus avarum est.*

His igitur me comprobavisse existimo versuum exitus, in quibus verbum paeonem quartum efficiens verbo iambico excipiatur, antiquos poetas detrectasse. Neque pro me non facit, quod libris nullus versus traditur, cuius in fine deinceps legantur pyrrhichius, iambus, iambus = ⏑ ⏑ | ⏑ — | ⏑ — ||. cf. Luchs. p. 14. Multi enim versus exeunt in ⏑ ⏑ | ⏑ — || *modo senex, quibus licet* similiter. Alia in quibus cum Luchsio dissentio, nunc omittam. Hoc tantummodo addam, quod exitus a Luchsio proscripti locorum horunce:

Stich. 742 *nam ita me Venus amoena amet*
Aul. 323 *tun trium litterarum homo*
Stich. 537 *ego apud te ero*
Merc. 585 *illa apud me erit*
Haut. 304 *redisse te et rogare uti*

minime sollicitandi sunt. Namque verbum paenultimi pedis ita in ultimum extenditur, ut conclusio rhythmica ante ultimum nullo modo efficiatur. Hac enim synaloephe verba quasi in unum coalescunt.[1])

1) Inscriptionum solo versu X, 3 rhythmica de qua agimus lex violatur:

Iam vero ut ad proprium meum propositum revertar,

VERBA SPONDIACA

tractabo his numeris circumscribenda:

	I.	II.	III.	IV.	V.
Inscr.	70	0	1	1	70
Plaut.	583	27	16	32	998
Ter.	251	16	21	16	341
Com. frg.	60	1	2	7	68
Trag. frg.	88	1	1	0	76
Lucil.	8	2	0	1	8
Varr.	16	0	2	1	20
Cic.	9	0	0	0	4
Syr. sent.	60	3	0	0	95

ex quibus nemo non intelleget temptanda esse spondiaca verba altero, tertio, quarto loco posita. Maiorem autem partem offensione carere, pauca corrigenda videbimus. Saepe enim leguntur praepositiones bisyllabae cum pronominibus vel aliis verbis monosyllabis ita coniunctae, ut accentus enclisis facta sit quod iam dudum cognoverunt viri docti. Huc pertinent alterius pedis: *intér se* Pseud. 539, Curc. 264, Capt. 35, Cas. prol. 67, Hec. 511, Lucil. XXIX, 25. — *intér nos* Poen. I. 3, 31, Haut. 53, Phorm. 431. 621. 639. — *intér vos* Hec. 93. — *proptér me* Capt. 702. — *proptér te* Cas. III. 4, 8, Capt. 746. — *ergá me* Hec. 489. — *praetérquam* Andr. 753, Haut. 60. — *proptér res* Trin. 186. — *praetér spem* Ad. 815. — tertii pedis: *intér se* Mil. 139, Andr. 220, Hec. 192. — *intér nos* Hec. 635, 659. — *intér me* Caec. 17. — *praetér te* Enn. 98. — quarti pedis: *intér se* Amph. 943, Poen. III. 5, 30, V. 3, 24, Afran. 309, Haut. 472. — *intér nos* Eun. 872, Afran. 354. —

---

ex quis muneribus nosse contigit deos

Buechelerus adnotat: „*contingit* si scripsisset, versus foret melior nec deterior sententia."

intér vos Ad. 392. — *proptér vos* Phorm. 927. — *praetér se* Turp. 194. —

Solus mutandus erit Merc. v. 752:

iusserunt ferri, quós intér iudex datu's?

Verborum autem *quos inter* collocatio tenenda est. cf. Lex Rubr. I, 49: *quos inter id iudicium accipietur, leisve contestabitur.* Proposuerim igitur:

iusserunt ferri, iudex quos inter datu's?

In hoc numero porro habendum est *multó post* Bacch. 853, Pseud. 1039, Poen. I. 1, 74, V. 6, 23. Quaedam enim verba Plauti Terentiique tempore uno accentu coniungi coepta sunt, inter quae praeter praepositiones fuerunt *multo post, etsi, paulisper, etiamnum* alia, ita tamen ut certus usus nondum extaret. Legimus enim *etiámnum* Mil. 518. *étiamnum* Pseud. 783. *tantísper* Bacch. 340. *tántispér* Haut. 147. *multó post* Pseud. 1039. *múlto póst* Pseud. 1043. Itaque sollicitare non licet Syr. sent. V. 39 sic incipientem: *amans sicút fax* et Trin. v. 527 sic exeuntem: *etsi scelestus est.*[1]). Deinde saepe occurrunt casus pronominum *iste* et *ille*, quibus antecedant verba in vocales exeuntia. Constat *iste* pronominis priorem vocalem non solum in lingua evanuisse, sed etiam in litteris (cf. Lachm. ad Lucr. 197 et 232, lectiones var. ad Trin. 1080.) atque fere idem in *ille* voce factum esse multi animadverterunt. Accidit igitur sine dubio iam apud scaenicos veteres, quod postea in linguis quas dicimus romanicas invaluit, ut vocales priores illorum pronominum omnino non pronuntiarentur; quamquam dubitare licet, utrum scribendae sint necne. Pertinet huc exemplum inscriptionum unicum tertii pedis:

XXIII. 3 *ita leibertate illeí me, hic me decoraat stola*

---

1) Neque offendendum est in eo quod Ritschelius Pseud. 87 coniecit:

vix hercle, opino, etsí me opponam pignori

praeterea tertii loci: Mil. 1308, Trin. 551, Merc. 691, Asin. 788, Andr. 526, Haut. 495, Phorm. 284 (ex Fleckeiseni emendatione), 307, Ad. 107, 450. alterius loci: Trin. prol. 3, Pseud. 783, Pers. 85, Merc. 570, Amph. 149 (cf. tamen Luchs. Herm. VI. 275.), Epid. III. 3, 25 (e Parei scriptura) Poen. III. 3, 82, Rud. 1353 (ubi Fleckeiseni transpositione non opus est), Haut. 348, 467, Enn. 294. quarti loci: Bacch. 301, Aul. 663, Poen. V. 5. 40, Haut. 153, Phorm. 639, 923, Hec. 114, Ad. 508, Lucil. XXIX, 2.

Etiam Phorm. 257:

vellem quidem. || *quid istúc est?* || *rogitas Phaedria?*

ubi verbum consona finitum praecedit, *quid stúc* pronuntiatum esse veri simillimum est. cf. Trin. 1080.

Immo quoque verbi forsitan aliquis existumet priorem vocalem esse in irrationalibus quas vocant. Quae res cum aliis testimoniis non confirmetur et *immo*, *immo enim*, *immo hercle*, *immo etiam* nullo fere notionis discrimine a poetis usurpentur, pauci qui extant loci mutandi erunt.

Trin. 427 *nempe quas spopondi.* || *immó ‚quas despondi' inquito.*

enim post *immo* intercidisse puto. Ritschelius quidem hunc versum defendit proll. CCXVIII: „spondiacam vocem tertium pedem non admisisse, nisi paucissimis in locis, in quibus illa a prioribus gravi interpunctione divellatur." Sed non adeo frequentes tales locos esse reperiemus, ut equidem eos corrigere non dubitem.

Phorm. 644 *talentum magnum.* || *immó malum hercle: ut nil pudet*

codex G solus genuinam scripturam servavit: *hercle malū.* Scribo igitur: *immo hercle malum: uti nil pudet.*

Phorm. 146 Fleckeisenus et Umpfenbachius cum hiatu scripserunt:

quod det fortasse? || *immo nihil nisi spem meram*

propono: *immo hercle nil nisi spem meram.*

Poen. I. 1, 23 *mihi quidem hercle.* || *immó mihi.* || *istuc mavelim*

scribe: *immo enim mihi.*

Cas. II. 8, 58 Geppertus edidit:

emito sepiolas, lopadas, lolligunculas
hordéïás. || *immó triticeas, si sapis.*

Hoc vel propterea nullo modo ferri potest, quod *hordeius* ab *hordĕum* derivatum secundam syllabam brevem habeat oportet, qua eadem ex caussa *hordējas* editorum veterum reiciendum censeo. Initium igitur versus fuit: *hordeĭas* (vel *hordĕ ĭas*) || *ímmo.* Dein scripsit Geppertus: *triticeas*, Pareus: *triticejas*, uterque aliis codicum lectionibus non allatis. Turnebus recte animadvertit *triticeas* linguae legibus formandum fuisse non *triticeias* et *hordearias* non *hordeias.* Quomodo autem versus sit intellegendus, Lambinus sensit, ut lolligunculas ita etiam hordeias piscis nomen esse interpretatus. Scilicet senex piscium genus delicatum dicere vult, cuius nomen olim auditum non recte iam memoria tenet. Itaque cum de horaeis (cf. Capt. 851.) cogitaret, memoria et lingua lapsus dixit *hordeias,* quod Chalinus ut senem irrideret imitatus *triticeias* formare sibi permisit. Versus igitur sic legendus est:

hordeĭas || *ímmo triticeĭas, si sapis.*

Ipse denique semel tantum ita invenitur, ut praecedat vox vocali finita

Merc. prol. 89 *talentum argenti ipse sua numerat manu* ubi Ritschelius Camerarium secutus *ipsus* scripsit, quod ferrem, si demonstrari posset, in illo quoque pronomine i litteram fuisse irrationalem. Omnes difficultates solvuntur, si scribimus:

talentum argenti sua ipsus adnumerat manu.

Neque enim mihi persuasit Luchsius sententiam suam quam protulit Studem. Stud. I, 46 sqq.: ubi *ipse* cum pronomine reflexivo coniungatur a poetis comicis non *ipse* sed semper

ipsus formam usurpari eamque pronomen reflexivum anteire, numquam subsequi. Concedo plerisque locis rem ita se habere; sed tamen non video, cur non alia verborum collocatione vel alia pronominis forma poetae uti potuerint, si versu flagitaretur. Neque enim ita parvus est eorum locorum numerus, qui illius opinioni repugnant; quos quidem plerosque ipse affert, hos duos tamen omisit: Phorm. 876 *intus quae inter sese ipsi egerint* Bacch. 417: *iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit.* Neque ab his secernenda iudico talia Most. 713: *te ipse iure optumo incusites licet.* Sed Mercatoris loco omnino non agitur de reflexivo *se*, sed de possessivo *suus*, cuius tria tantum exempla inveni, ex quibus certa lex derivari nequeat, praeter Mercatoris versum Amph. 252 *ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua* (Fleckeisenus: *suapte*) *optruncavit manu* et Capt. 560: *quin suum ipse interdum ignorat nomen* e. q. s. Itaque in *sua ipsus adnumerat manu* non est offendendum.

Alter locus, ubi *ipse* pronomini praecedit vocula consonanti finita

Haut. 266 *quantum ex ipsá re coniecturam fecimus* corrigitur *hac* verbo post *ipsa* inserto.

Bis *ecquis* pronomen in ultima acutum occurrit:

Aul. prol. 16 *coepi observare ecquí maiorem filius*

Pseud. 482 *quid ais? ecquám scis filium tibicenam.*

Saepe prior huius vocis syllaba corripitur ita ut nonnumquam una gutturalium non pronuntiata esse videatur. cf. Trin. 870, Bacch. 581, 582 Truc. II. 1, 42 cetera. Quare Pseud. 482 *ecquam* pro iambo habendum erit [1]), quo tamen Aul. prol. 16 non excusari modo didicimus. Fortasse locus sic constituendus est:

coepi observare ecqui eius maiorem filius
honorem haberet mihi, quam ante habuisset pater.

1) Itaque Fleckeiseni scriptura Mil. 1106:
conveni || ecquí tibi fortis visast? || omnia
defendi potest. cf. tamen Mueller. pros. 656.

Omném rem legimus secundo pede

Cas. II. 8, 70 *quinque hanc omném rem meae erae iam faciam palam*

Hec. 194 *habes omném rem: pergam quo coepi hoc iter*

Lucil. XXVIII, 10 *habes omném rem timeo ne accuser* ⏑ —

quarto loco:

Ad. 364. *non ostendam id me velle* || *omném rem modo seni*

qui versus recte traditi videntur. Etiam *omnis* vocis prior syllaba saepe brevis est. cf. Ritschelii proll. CXXXII sqq. et CCXXIII. Muelleri pros. p. 367. Una duarum nasalium in volgari sermone evanuisse aut non semper *mn* in hac voce positionem fecisse videntur.

Plus igitur quam dimidium eorum locorum ubi in illis pedibus spondiaca verba occurunt, sine offensione esse videmus. Quare non temerarium erit eos qui restant emendare. Atque primum quidem sex locis spondiaca vox a prioribus gravi interpunctione dirimitur, quam Ritschelius legitimam excusationem fuisse putat. Qua in re ei adstipulari non possum. Namque ut loci supra prolati ubi *immó* legitur, facili ratione mutati sunt, ita in his quoque promptae sunt emendationes.

Poen. III. 4, 10 *quin sequere me ergo* || *abdúc intro: addictum tenes*

scribendum est: *abduce.*

Eun. 856 *quid feceras?* || *paulúm quiddam* || *eho, paulum inpudens?*

verba Chaereae in Bembino oblitterata sunt. Initio tamen Umpfenbachius legere sibi visus est litteras: EM, quod si recte vidit, *quiddam* interpolatori debetur atque Terentius scripsit:

quid feceras? || *em, paulum...* || *eho, paulum impudens?*

Capt. 118 *satis est: numquám post illam possis prendere* Ritschelius ipse transposuit proll. CCXXII: *post illam numquam*, quod Fleckeisenus recepit.

Andr. 819 *sequar hos: nolo me in tempore huc videat*
senex

scribe: *non volo me* aut *me nolo.*

Poen. V. 2, 31 *an scis?* || *nullús me est hodie Punus*
Punior

proposuerim: *est nullus me* e. q. s.

Hec. 177 *nunc audies. primós dies compluſculos*

Perperam mutavit Bentleius *primos* in *primo hos.* Etenim *hos dies* aut de diebus ante iam commemoratis aut de tempore praesenti vel futuro dicitur. Ne transponamus: *compluſculos primos dies* obest Turp. v. 183. *quia hos dies compluſculos.* Nihil restat nisi — quam viam ineundam esse me docuit Usenerus, praeceptor optimus — ut *dies* verbo per synizesin lecto initio tale quid Terentium scripsisse statuamus:

nunc ex me audibis. prímos dies compluſculos

cf. Capt. 619.

Secundi pedis pauca verba spondiaca supersunt. Ne longus sim, recte mihi iam emendati videntur Bacch. 224 a G. Hermanno, eiusdem fabulae v. 245 et Cist. I. 2, 1 a Bothio, Syr. sent. 191 a Ribbeckio, 346 a Nauckio, 388 a Woelfflino. Quod Geppertus Poen. III. 6, 2 scripsit:

est ne hic meus servos? || *sum hercle vero, Agorastocles*

extat revera in B codice teste Schwarzmanno (cf. Gepp. praef. ad Cas.); ceteri libri: *servús meus.* De Epid. III. 4, 41 iam supra p. 9 dictum est.

Afran. 20 Ribbeckius Franckium secutus:

Sexte, o fratér mi, salve: quom salvus venis

quod Bergkius probavit (Fleck. ann. 1870. p. 829). Codices exhibent: *Sexte frater mi.* In similibus vero enuntiatis alias fere pronomen ante substantivum legitur. cf. Phorm. 254, Men. 1125, Poen. V. 2, 79. 90, Rud. 1175, quos locos Bergkius l. l. attulit. Qua propter corrigendum est: *Sexte, o mi frater, salve* e. q. s. Ribbeckius spondiacum verbum intulit Enn. v. 245:

hoc ego dicó tibi et coniectura auguro

ipse autem Coroll. XXX. librorum scripturam *hoc ego tibi dico* revocavit; itemque perperam Geppertus Cas. II. 5, 10 contra libros, quorum scripturam defendit Brixius Fleck. ann. 1870. 773.

Iam vero ut ad tertii pedis verba spondiaca transgrediar, non dubito quin recte emendaverint Ritschelius Bacch. 255, Wagnerus Aul. 503, Bentleius Phorm. 609. Ad. 131, Fleckeisenus Andr. 540. Ad. 833. De Bacch. 220 iam supra disputatum est.

Aul. 368 Wagnerus cum libris:

rapăcidarum ubi tantúm siet in aedibus

Cum *rapacidarum* verbi a *rapax rapācis* formati altera syllaba brevis esse non possit, restitui velim:

rapăcidarum ubi tántum sit in aedibus.

Capt. 51 *homunculi quantí sunt quom recogito*

ex interpolatione foedissima inrepsisse Fleckeisenus demonstravit ep. crit. p. XX.

Amph. 120 *nam meus pater intús nunc eccum Juppiter* Fleckeisenus: *nunc intus,* quae transpositio vss. 112 et 131 commendatur. Fortasse *eccum* mutandum est in *summus.* cf. praeterea Mueller. pros. 40.

Haut. 429 *numquid nam de gnató meo audisti, Chremes?* Bembinus: *audivisti.* Quare restituendum: *de mēo gnato audivisti* Gepperto demum Engerum secuto debetur versus talis:

Epid. III. 4, 38 *ei quae accessere, addám tibi dono gratiis* libri: *tibi addam dono.* Poeta nimirum scripsit; *tibi dono addam gratiis* cf. Brix. Fleck. ann. 1870. p. 767.

Eun. 190 *in hoc biduom Thaís vale.* || *mi Phaedria* scribendum censeo: *mea Thâis vale,* quod iam Brixium progr. Liegn. 1857. p. 17. proposuisse nuper vidi.

Haut. 26 *valebit qua re omnés vos oratos volo* Fleckeisenus: *qua re oratos vos omnis volo.* Propter parechesin praeferam: *qua re oratos omnis vos volo.*

Phorm. 637 *si tu aliquam partem aequí bonique dixeris* Bentleius in editione Cantabr. a. 1726. imprimendum curavit: *aequibonique*, nimirum ut indicaret artissime ea verba cohaerere velut apud Graecos *καλὸν κἀγαθόν*. Sed aliis locis *aequi bonique* aut initio versus occurrunt, ut Haut. 788, Curc. 65 aut alio modo inter se coniunguntur [1]). Itaque scribendum esse pro certo habeo:

aequi bonique si aliquam partem dixeris.

Eun. 418 *quidni esset? || di vostrám fidem, hominem perditum.*

Dixerit aliquis *di vostram fidem* formulae verba uno accentu contineri. Equidem locum corruptum esse existumo, quia in fine tantummodo versus haec formula apud Plautum Terentiumque in senariis quidem et septenariis invenitur [2]). Fortasse igitur scripsit poeta: *di immortales*, quam rariorem exclamationem recensor aliquis usitatiore illa commutavit.

Ex Comicorum fragmentis in quaestionem vocandi sunt versus:

Caec. 60 *quid narras, barbare, indomitis cum moribus inlitterate inléx*

libri: *inlex es,* nisi quod Leidensis scripturam hanc sibi enotavit Buechelerus: *inlex hes* (*h* ab eadem manu utrinque expuncto). Transponendo facile corrigas: *inlex inlitterate.* Sed in librorum scriptura fortasse *inlegis* formam latere Buechelerus mecum communicavit, qua probata optime versus sanatur. Turp. 27 iam Bothius correxit.

Tit. 25, si verba in duos distribuenda essent senarios, tertio loco occurreret vox spondiaca:

quae intra decem
annos nequisti unám togam detexere

---

1) velut Ad. 64: *praeter aequomque et bonum;* 987: *ex aequo ét bono;* Most. 682, Pers. 399, Rud. 184: *bonum aéquomque oras.*

2) Hos habeas locos: Andr. 716. 744, Eun. 790. 924, Haut. 502, Ad. 381, Trin. 591. 1070, Mil. 862, Men. 872, Amph. 455. 1130, Capt. 418, Poen. IV. 2, 8. 78, Truc. I. 1, 8 Cist. IV. 1, 11.

quam nunc Ribbeckius in quartum intulit aeque respuentem. Praeterea cum idem verba arte cohaerentia *intra decem annos* dirimat, Buechelero assentior octonarium constituenti, nisi quod *non quivisti* propius a librorum scriptura abesse puto quam *nesciisti*. Denique nec quod Ribbeckius Afran. 176 (Coroll. p. LXIX) proposuit [1]) ferri potest, nec quod edidit Pomp. Bon. 14 sqq., cuius loci verba aut cum L. Muellero pro trochaeis aut cum Buechelero pro anapaestis habeas.

Varr. sat. rell. ed. Buech. 351:

quam nobilem divúm lyram Sol harmoge
quadam gubernans motibus diis veget

Melius hos versus Riesius distribuisse mihi videtur:

quam mobilem divum lyram
Sol harmoge aequa clam gubernans motibus
diis veget.

Ineptum tamen aperte *aequa clam*, quod pro *quadam* scripsit, etsi ne ego quidem quod esset probabile inveni. Aliorum acumini locum sanandum relinquo. Etiam difficiliora emendatu sunt verba Varronis 558 Buech.:

illud veró quondam mea
ut ego non metuam fulmen, non haruspicem
tristem, simul ac dicí non quaero

ex quibus secundi tantum versus scriptura bona est; in quarto pede primi et in tertio tertii traditur vox spondiaca atque praeterea uterque sensu claudicant. Coniecturas quidem multas viri docti protulerunt, sed nullam emendationem; neque puto emendari posse locum, nisi novis auxiliis adiuvemur.

Inter exempla spondiacarum vocum quarti pedis quae restant, primum de tituli LII versu 2 (Mus. Rhen. XXVII. p. 127) iudicandum erit:

ne] *ludas hortor his summa est severitas*

ne addidit Buechelerus; inter *omnibus* antecedentis versus et

---

1) *eius* post *speratum* inserendum erat.

ludas fere duodecim litteras excidisse significat Marinius. Qua ex re et e versu primo sequitur, ut is qui hunc titulum transscripsit, metricae haud satis peritus licentius elogio archetypo usus sit. Fortasse igitur exhibuerat illud: *summa est hic severitas.* Tamen etiam poetarum pleraque exempla quae supersunt similiter se habent, ut illam spondiacam vocem subsequatur verbum, quo duo ultimi pedes expleantur. Neque dubito quin haec legitima fuerit excusatio. Sunt autem loci hice:

Capt 15 *vos qui potestis ope vostrá censerier*
Phorm. 710 *negoti incipere, quae causást iustissima*
Epid. III. 3, 19 *atque audin? || quid vis? || cave siris cum filia*

Stich. 447, Merc. 328, Capt. 40. 91, Rud. 872, Poen. III. 3, 30. 37, Epid. III. 4, 61, Cas. prol. 40, Cist. II. 3, 8. Caec. 161, Nov. 47, Turp. 81, Dec. Lab. 101, quorum nonnulli tamen mutandi erunt.

Cist. II. 3, 8 *erilem filiam nostrám sustollere*

Bothius transposuit, quia versus caesura caret. Idem Turp. 81 recte *ut* post *primum* inseruisse videtur.

Cas. prol. 40 *quom conspicatus est primó crepusculo*

cum codex rescriptus *conspicatust* exhibeat, fortasse verum est:

quom conspicatust primulo crepusculo

cf. Ritschelii Op. II. 275 adn.**

Ceteri invicem tutantur, quamvis mutanti non magnas praebeant difficultates. Dein ea quoque verba spondiaca excusabimus, quibus gravior interpunctio succedit, velut:

Most. 595 *non dat non debet. || non debét? || ne gry quidem*

Asin. 800 *neque ulli verbo male dicát. si dixerat*

ubi alia verborum collocatio omnino non data est. Ex reliquis locis recte iam mutavisse mihi videntur Bentleius Phorm. 667, Andr. 221, Fleckeisenus Phorm. 911, Bothius Men. 294, Stich. 457, Ritschelius Men. 484, 499. Pers. 60.

Mil. 820 *set quia consimilest quom stertás, quasi sorbeas*

Bothii transpositione nihil proficitur. Si mutandum est, proposuerim:

sed quia, quom stertas, similest, quasi si sorbeas.

Aul. 76 *queo conminisci: neque quicquám meliust mihi* reponendum: *nec mihi quicquam melius est.*

Poen. I. 1, 9 Geppertus edidit:

gerrae germanae, edepol λῆροι λῆροι meri

codd.: *edepol* (*haedecol* B) *lirae lire* (vel *lyrae*). Quod Bothius scripsit:

gerrae germanae atque edepol ἄλυροι λύραι

eam ob caussam perversum est quod ἄλυρος vocis prima corripitur. Sine dubio recte invenit Gronovius *λῆροι*, neque improbabiliter addidit Weisius *meri*. Sed eo quod Geppertus scripsit, metrum foedissime disturbatur; quae vitia quamquam facile evitantur transpositione: *gerrae germanae λῆροι* pol *λῆροι meri*, acquiescere tamen in hac non possum. Namque *haedecol* scripturae B codicis graeca aliqua verba subesse mihi videntur, quae edepol supra scripto paulatim in ea transierint, quae nunc legimus. Plauti igitur versum sic fere recuperari arbitror:

gerrae germanae, ναὶ μὰ Δία λῆροι meri.

Cas. IV. 2, 2 codices et Geppertus cum hiatu:

cena ubi erit cocta, ego rurí cenavero

correxit Muellerus pros. 504: *ego rúri post cenavero.*

Aul. 334 scribi velim:

ubi si quid poscam, poscam usque ad ravim prius

libri: *poscam, usque ad ravím poscam prius.*

Pers. 408 *inpure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli* scribendum erit: *ilex*, quod Nonii testimonio p. 10 commendatur. cf. Buecheleri decl. lat. p. 14.

Curc. 649 *timidam atque pavidam nec vivám nec mortuam*

nescio an tale quid Plautus scripserit: *nec scio vivam an mortuam.*

Pherm. 985 *rape hunc* || *sic agitis? enim verŏ vocest opus* propono: *sic agitis? verum enim vero voce opust.*

Vidul. frg. I, 12 et 13 Studemundus sic edidit ind. lect. Gryph. 1871 p. 12.:

non sum, si quidem tu non ⏑—⏑—⏑—
verum si pretium das, ducĕs tecum simul

quae praecedunt, ad sensum ita fere suppleri posse ratus p. 14: *Din. quid tu? locastin, quaeso, te unquam quoipiam? Nam equidem te mihi esse serviturum haud arbitror. Nic. Non sum, siquidem tu non vis me conducere.* Quae v. 12 supplevit, Plautus scribere non potuit, quia *conducere* fere idem est atque *pretium dare.* Propter versum 13 aliquid flagitatur illi *pretium dare* oppositum, idque fuisse potest:

non sum, siquidem tu nosti me, umquam gratiis,
verum si pretium das e. q. s.

vel simile quid. Finis v. 13 Studemundo in codice rescripto sic apparuit: DV——CVMSIMVL, ex quibus quae elicuit ‚duces tecum simul' propter spondiacum verbum probare nequeo. Cogitavi tale: *duc me tecum simul*, quod tamen non sufficere Buechelerus me monuit, sed scribendum esse:

verum si pretium das, duc me, eo tecum simul.

Denique spondiaca vox Fleckeiseno auctore legitur Amph. 945, quem versum Ritschelius Op. II. 432 emendavit.

Caec. 57 autem ubi Ribbeckius scripsit:

utinam pisciculi te schemá, sine cruribus
videam

schema pro iambo metiendum est, ut v. 76: *hilara schema*, Amph. 117: *servili schema.* Contra Naev. trag. 35 eiusdem verbi prima producitur: *Bacchico cum schemate.* Videtur igitur hoc vocabulum correptam primam syllabam habuisse, si velut vernaculum prima declinatum est, productam si tertia. Iam vero ad

VERBA ANAPAESTICA

transgredi licet quorum hos numeros repperi [1]):

	I.	II.	III.	IV.	V.
Inscr.	19	0	0	1	17
Plaut.	255	17	6	24	326
Ter.	117	6	9	2	103
Com. frg.	28	1	0	0	22
Trag. frg.	26	2	0	0	9
Lucil.	3	0	0	1	4
Varr.	3	0	0	0	2
Cic.	0	0	0	0	0
Syr. sent.	20	1	2	2	26

Aeque ac spondiaca verba etiam anapaestica secundi tertii quarti pedis insignem ob paucitatem suspecta sunt. Sine offensione legitur *etiamnunc* altero pede Aul. 55, Phorm. 931, tertio Trin. 594.

Amph. 481 *alter decumó post mense nascetur puer* similis enclisis statuenda erit atque in *multó post.*

Merc. 728 *illast — etiám vis nomen dicam? || nihil agis* fortasse rectius Muellerus pros. p. 653: *vin etiam.*

Etiam Bacch. 518

tum quom nihiló plus ad suam rem illut referet.

Ritschelius enclisin accipiendam esse putat. Sed ex librorum Palatinorum scriptura elucet extitisse verbum inter *quom* et *nihilo,* quare praetulerim:

tum quom illut nihilo plus ad suam rem referet.

Porro multa exempla viri docti iam correxerunt, Ritschelius Mil. 547, Men. 300, Truc. I. 1, 47 (Op. II. 386); Fleck-

1) quibus numeris etiam pauca ea exempla comprehendi, ubi anapaestus verbis duobus efficitur quorum alterum est iambicum uti: *ubi erant, ab ero.*

eisenus Capt. 110, Haut. 912, Pomp. Bon. 51; Wagnerus Aul. 503; Buechelerus Syr. sent. 72, quibus locis in secundo pede vox anapaestica occurrit. Ex tertii pedis exemplis sublata sunt a Ritschelio Pseud. 26; a Guieto Pers. 167; a Fleckeiseno Curc. 10, Rud. 829, Andr. 116; a Bentleio Andr. 64, a Klettio (ex. Ter. p. 20) Ad. 395; quarti pedis a Ritschelio Stich. 490; a Fleckeiseno Curc. 44, Andr. 143; a Bothio Syr. sent. 652.

Pers. 372 *verum ei rei operám do, ne alii dicant, quibus licet*

Mil. 31 *nolo istaec hic nunc. ne hercle operáe pretium quidem*

collato epigrammate illo Enniano (II, 6 Vahlen. p. 163.) *opra* formam his locis adhibendam esse Buechelerus privatim mihi comprobavit.

Phorm. 87 autem

nos otiosi operám dabamus Phaedriae

si *opram dabamus* scriberemus, perperam iambica tertio loco legeretur vox. Codex G exhibet: *nos operam ociosi.* Restituendum igitur: *operam otiosi nos dabamus Phaedriae.*

Haut. 113 *postremo adeó res rediit, adulescentulus*

Andr. 120 *adeo modesto, adeó venusto, ut nil supra.*

Priorem locum correxit Buechelerus in scholis *eo* proponens. Altero nihil nisi urendo secando proficies. Neque pronuntiasse antiquos *adéo* credibile est, quod Lachmannus ad Lucr. p. 104 his verbis contendit: „*postéa propteréa* et cetera quonam accentu proferenda sint, sciet qui veteres *adéo* secunda acuta dixisse e Paulo diacono didicerit p. 16." Legitur autem hoc loco: „adeo duas habet significationes. Nam cum prima acuta effertur, idem significat quod accedo, ut cum dicimus: adeo praetorem. Cum autem secunda, idem quod usque eo, non quidem secundum rationem, quia ad praepositio accusativis accommodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine." Vereor ne plus iusto ille his verbis tribuerit. Nam qui accuratius ea per-

penderit, videbit haec: „vetusta quadam loquendi consuetudine“ non ad accentum spectare, sed esse eius qui *ad* praepositionem in *adeo* adverbio cum ablativo coniunctam miratus sit. Recte igitur cum postéa adéo usu scaenicorum redarguatur, Ritschelius proll. CCXX hoc testimonium pravo illi grammaticorum studio tribuit, quo verba eiusdem soni sed diversae notionis accentu distinguere soliti essent. Terentii autem locum felicioribus corrigendum trado, nam recensores genuina prorsus obscuravisse videntur.

Trin. 458 *nisi quid me aliúd vis, Philto, respondi tibi* Ritschelius: *nisi me aliud quid vis.* Praestat *alid* forma.

Trin. 397 *miser ex animó fit factius nihilo facit*
correxit Ritschelius in proll. CCXXI: *fit miser ex animo*; in alteram tamen editionem recepit librorum scripturam his verbis nisus: „non est obliviscendum *exanimo* veteribus fuisse pro uno vocubulo choriambico“, quam rem excusationem non esse infra videbimus.

Bacch. 149 *vivo nimió iam multo plus quam volueram* spurium esse Ritschelius vidit; corrigenti difficultates non exhibet cf. proll. CCXXIII.

Pseud. 808 Ritschelius Opusc. II. 473 nunc scribi vult:
illi drachumís sunt miseri, me nemo potest;
quod idem olim proposuit: *illi sunt drachumis* ego magis probem. Sed nescio an aliud in librorum scriptura: *drahcmis sent* vel *essent* lateat.

Truc. II. 3, 26 recipiendum erat, quod Spengelius in adnotatione attulit.

Poen. III. 3, 68 *videre equidém vos vellem, cum huic aurum darem.*
De *ego quídem* ne cogitemus, obstat quod ubi haec verba occurrunt [1]), *ego* non *quidem* ictu rhythmico effertur; quare

1) Mil. 347. Men. 399. 619. 684. 1071. Epid. II. 2, 18 Aul. 562 (cf. Seyffert. progr. Berol. 1874. p. 8). Poen. V. 3, 46 verba omnino non coeunt in versum.

scribas: *videre equidem ego vos vellem.* Legimus *equidem ego* Bacch. 437. Merc. 264. Amph. 764. Rud. 1077. Pers. 187 sqq. Haut. 632.

Poen. V. 2, 133: *leno hic habitát vicinus* || *male faxim lubens*

cum Seyfferto faciendum est, qui *habitat* in *habet* mutavit (progr. Berol. 1874. p. 6).

Hec. 507 *sublati animí sunt. Etiam mecum litigas* restituendum: *animi sunt sublati* vel *sublati sunt animi.*

Ad. 486 *scio. Miserám me, differor doloribus* scribi velim: *me miseram.*

Phorm. 217 Fleckeisenus cum Bothio:

mane, mane, inquam || *ego me novi et peccatum meum*

Bembinus parsque codd. Calliop. exhibent semel *mane*, omnes autem: *egomét me*, quod tenendum est. Semper enim pronomen personale syllaba *met* augetur, si est subiectum et eiusdem personae aut casus obliquus aut pronomen possessivum subsequitur. Locos conlegit Seyffertus Phil. XXV. p. 459 sqq. *Mane, inquam* || *me égomet* e. q. s. scribere ideo non licet quod verba semper ita collocantur ut subiectum antecedat. Itaque tale quid olim fuisse putem:

mane, inquam || *égomet me novi átque peccatum meum.*

Naev. trag. frg. 36 Ribbeckius:

ignótae iteris sumus: tute scis ....

equidem haec verba tamquam anapaestos metiar aut in duos versus dispertiar:

. . . . . *ignotae iteris sumus:*
tute scis

Enn. 170 *senex sum: utinám mortem oppetam, prius quam evenat*
quod in pauperie mea senex graviter gemam!

Facile cogites, *ego* ante mortem interponendum esse. Sin autem verba Talthybii in Eurip. Hec. 497 conferimus:

φεῦ φεῦ· γέρων μέν εἰμ᾽· ὅμως δέ μοι θανεῖν
εἴη πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί

in Ennianis non clare redditam esse videmus rationem quae intercedat inter verba *senex sum* et *utinam mortem* e. q. s. Pro *utinam* sine dubio *tamen* scribendum est. Sed ne alter quidem versus est sanus. Valde enim frigere unusquisque concedet *senex* propter prioris versus *senex sum.* Dein quid sibi vult *in pauperie mea*? Ubinam Talthybius se esse pauperem dixit? Aperte is cum haec loquitur fortunam Hecubae captivae videns exoptat ne similis miseria sibi accidat. Ut in graecis ita etiam in latinis generalis magis sententia flagitatur. Quae ipse ad locum sanandum conieci, ascribere non opus erit. Cedunt enim Buecheleri emendationi optimae, quam hic proferre benigne mihi permisit:

quod in pauperie et miseria graviter gemam.

Verborum anapaesticorum tertii loci apud Plautum restat Poen. I. 1, 9 de quo iam supra sum locutus. Neque Ritschelio assentiri possum talem vocem inferenti in Mil. v. 530:

magisque eandem eadém quae non sit, non reor.

nam etiamsi *eadem* per synizesin legis, accentus offensio tamen manet. Libri autem cum exhibeant: *utpote quae non sit eadem*, poetam scripsisse puto:

magisque eándem, tamen quae non sit eadem, non reor.

Haut. 518 *quid tu istuc? || recte. equidém te demiror Chremes*

restituendum: *equidem ego.*

Haut. 752 *etsi scio, hosce aliquót dies non sentiet* proposuerim: *etsi scio, aliquot hos dies non sentiet.* cf. Phorm. 832. *nam aliquot hos sumam dies*, Pseud. 283: *aliquot hos dies manta modo.* Maiorem difficultatem praebet

Haut. 61 *nam pro deum atque hominúm fidem, quid vis tibi.*

Excuset forsitan quis haec propter formulam illam obtestandi. Sed cum et apud Terentium et apud Plautum

eam in septenariis tantummodo et octonariis legamus [1]), vereor ut versus recte traditus sit. Quid verum fuerit, videre licet e. Phormionis v. 351:

iam ego hunc agitabo. pro deum immortalium

ubi *immortalium* testimonio Prisciani II. p. 375. H. firmatum in libris et Terentii et Prisciani depravari coeptum est in *pro deum atque hominum fidem.* Igitur scribi volo:

nam pro deum immortalium, quid vis tibi

neque nimis audacem hanc meam coniecturam dictum iri spero, si contuleris versus eiusdem scaenae 5. 11. 12. 13., ex quibus elucet initium fabulae olim foede corruptum ab homine quodam litterato in eam formam redactum esse quae nunc legitur.

Syr. sent. 358 *muneribus, non lacrimís meretrix est misericors*

recte a Woelfflino inclusus videtur, quamquam metrum facile cum Ribbeckio sic restituitur: *muneribus fit, non lacrimis* e. q. s.

ib. 557 *quem diligas, etiám queri de ipso malum est*

quae adhuc prolata sunt, probare nequeo, neque ipse emendationem inveni.

Hic certe etiam in dubitationem vocandus est:

Eun. 415. *eone es ferox, quia habés imperium in beluas?*

repone: *quia impérium habes.*

Trin. 114 denique aut hoc modo acuendum est:

et rem suam omnem et illum corrumptum filium

aut pronuntiandum *et lúm.* Ritschelius: *et illúm.*

Inter exempla quorum in quarto pede occurrit anapaestica vox, magna pars ita se habet, ut ultimi duo pedes aut uno verbo efficiantur aut duobus quae pro uno habenda sunt veluti:

---

1) loci sunt: Andr. 246. Hec. 198, Curc. 694 Epid. IV. 2, 10 Prorsus aliter se habere Aul. 297 et Men. 1053 unusquisque intelleget.

Mil. 6 *ne lamentetur neve animúm despondeat*

ib. 29 *conisus esses per coriúm, per viscera*

ib. 1094 *quid nunc mi's auctor, ut faciám, Palaestrio*

praeterea Mil. 1125 Rud. 54. 145. 606. Poen. I. 1, 81. II, 29. Men. 878 (ex Bothii emendatione). Aul. 495. Lucil. XXIX, 30 ubi in librorum scriptura: *ire ad, ierat* latere Bothius vidit. De L. Muelleri *eirad* verba non perdam.

Unum exemplum in titulis invenitur XXXI. 24

in templa ducis ac famulám divis dicas.

Elogium exeunte post Christum saeculo quarto iambis graecanicis compositum est, quorum puritia nusquam amplius violatur. Eo magis miranda est hoc loco anapaestica vox; eo minus autem concludi licet etiam poetas scaenicos talia sibi permisisse. Scribi igitur volo locos qui subsecuntur tali modo:

Men. 873 *vel hic insanit, paulo quam valuit prius*

codd.: *quam valuít paulo prius.*

Pers. 385 *tace stulta, non nunc hominum tu mores vides*

libri: *tu nunc hominúm.*

Aul. 363 *nisi unum hoc faciam in puteo uti cenam coquant*

libri: *ut in puteó.*

Merc. 705 *perii hercle: rure rediit iam huc uxor mea*

libri: *rure iam rediít uxor.*

Aul. 516 *compellarem ego illum, ni metuam id ne desinat*

libri ommittunt *id* cf. Pseud. 284 Eun. 140.

Pseud. 555 *non demutabo || namque pol si non dabis*

Cas. I. 40 *gustare quicquam, numquam pol ieiunium*

libri utroque loco; *edepól.*

Merc. 708 *accedam propius || vae mihi miserae! || immo mihi*

libri: *miseraé mi.*

Cas. IV. 2, 12 *quid hic speculare || nil quidem specutor || abi*

libri: *equidém.*

Aul. 557 editiones contra libros:

quin exta inspicere in sole etiám vivo licet

B et D: *solee vivo* (cf. Lorenz. progr. Berol. 1872 p. 14.), ex quo elicio: *in sole vel vivo licet.*

Poen. prol. 51 Geppertus:

comoediaï: sin odiósť, dicam tamen

Cum Ritschelius proll. CCCXXVI genetivos distractos in aï primae a Terentio alienos esse demonstraverit, equidem existumare non possum in Poenuli prologo post Terentii aetatem composito talem formam admissam esse. Codices autem pro Gepperto non faciunt. Nam diu etiam post id tempus, quo illae duae vocales in unum sonum coaluerunt, scribebatur ai. cf. Buecheleri decl. lat. p. 33. Versum sic emendandum censeo:

comoediae: sin odiost, ego dicam tamen.

Poen. prol. 29sqq. Geppertus scripsit:

domi ut procurent ne, quom spectatum adferant
et ipsae sitiant et puerí pereant fame

libri: *neu quae spectatum adferat ne et ipsae sitiant* e. q. s. Frustra emendationem quaerenti mihi Buechelerus suasit, ut scriberem restituto singulari numero:

domi ut procurent, neu quae spectatum adferat
ne et ipsa sitiat et puer peréat fame.

Eun. 674 editores perperam:

haben hominem amabo? || quid ni habeám? || factum bene.

Solum verum est quod libris omnibus confirmatur: *quid ni habeam || O, factum bene.*

Phorm. 951 sic acuendum est:

quod díctum indictumst quód modo érat ratum, inritumst.

Sententiam Publilianam 358 iam supra absolvi. —

VERBA DACTYLICA ET TROCHAICA

in primo pede leguntur:

Plaut.	Ter.	Trg. frg.	Com. frg.	Sgr. s.	Luc.	Varr.	Cic.	Insc.
dactyl. (vel tribrach.)								
43	11	3	4	1	0	0	0	1
trochaic. (vel pyrrhich.)								
34	6	1	2	0	0	1	0	0

qui loci omnes non sollicitandi sunt. cf. Buecheler. Mus. Rhen. XXI p. 299., quod Riesius eodem loco p. 638 contra disputat, mihi non persuasit. Ceteris in pedibus fere nusquam occurrunt voces dactylicae praeter *nescío quis*, *nescío quae* velut Rud. 482. Curc. 648. Afr. 159. cetera, quae verba unum choriambicum efficere iam Kampmannus de praep. a us. Plaut. p. 20 contendit, nuperque Luchsius (Herm VI. 264 sqq.) et Beckerus (Studem. Stud. I, 229 sqq.) extra dubium posuerunt, quippe quibuscum semper indicativus coniunctus sit. Praeterea Pers. 412:

accipin' argentum? accípe sis argentum impudens

accipe sis uno accentu pronuntiatum est.

Ad. 379 *prius nolo* || *haecíne flagitia!* || *mihi quidem non placent*

fortasse propter exclamotionem *haecíne* excusatur. Sed locum corruptum esse indicat proceleusmaticus *míhi quidem*. Praeterea Syri verba ita se habent, quasi iis Demea interrumpatur isque dicere voluerit: *vestra haec flagitia mihi non placent*. Proposuerim igitur:

prius nólo || *flagitia haéc . . .* || *mihí quidem nón placent.*

haecíne flagitia debetur recensori versum 408 respicienti.

Nimirum nullo modo stare potest, quod Riesius Varr. Hecat. I (p. 118, 15) scripsit:

aurum latére quod conquadravit regio.

Verba trochaica aliis praeter primum locis non admittebantur, nisi praepositiones *inter*, *propter* velut: *intéreas* in quarto pede Hec. 178, in tertio ib. 180.

Corrigendus autem est Ad. 139:

cum ita, ut volo, est: istć tuos ipse sentiet

scribas: *cum ita, út volo, est: tuos ístic ipse sentiet.*

Denique ter legi *ita* et semel *ego* in proceleusmatico primi pedis ita ut ultima accentu efferatur. Poen. III. 3, 78 Curc. 48 Pseud. 77 Epid. III. 4, 17. —

Verbis quae unius pedis mensuram aequant, absolutis, nunciam ad

transeumdum est, quibus plus quam unus pes expleatur. In his prima facio anapaestica verba, quorum duabus ultimis syllabis iambicus pes efficitur = ⏑ | ⏑ ⏓. Leguntur plurima eorum ita ut syllaba longa sit arsis quinti pedis, de qua re iam supra dixi. Aliquanto rariora sunt quarto pede velut ut exempla non nulla afferam:

Trin. 134 *neque de illo quicquam neque emerés neque vcnderes*

Mil. 586 *ille hinc abscessit, sat edepól certo scio*

Ad. 509 *profecto evadit in aliquód magnum malum.*

Multo rarius adhibita invenies in secundo pede ut

Most. 531 *quid ego hodié negoti confeci mali*

Most. 637 *vosmet igitúr si salvomst.* || *aedis filius*

Asin. arg. 3 *itaque ob asinós relatum pretium Saureae*

Ad. 95 *rei dare operám, ruri esse parcum ac sobrium.*

Numquam autem in tertio pede admissa sunt praeter illud *etiamnunc*, quod legitur:

Phorm. 656 *quae debeo: et etiámnunc, si volt Demipho* [1]).

Sine ulla offensione senarios esse constat, qui ordiantur hoc modo:

itást homó — magnúm malúm
— videó domúm

in verbis polysyllabis quae his respondent, natura fert ut contra accentum non peccetur velut:

omittitur — admittimus
melioribus.

Dein quia permissum erat: *omníbus modís, quid égo hodié*, optime etiam se habent exordia versuum talia:

me vítu | perás — quin réci | pitur
medío | critér — etiam Epi | dicúm

---

1) quod idem verbum simili modo occurrit:
Mil. 518 *sicut etiámnunc nescio quid viderim*
Lucil. XXIX. 56 *tum illum ἐπιφωνεῖ quod etiámnum nobilest.*

i. e. omnia verba polysyllaba, quae in iambum exeunt, ita admissa erant, ut ille iambus in secundum pedem caderet. Sed cum vetita fuisse viderimus initia haec:

bonúm summúm — malám miserám
adfért magnúm — magnórum hominúm
videó dignúm — videó mediúm,

detrectaverunt poetae etiam talia:

amícorúm amícitiám
commíserunt testúdineúm
inimícorúm inimícitiám
et démpturúm si paúperiém

nisi si ultima eorum verborum syllaba cum sequenti voce per synaloephen coniuncta fuit. Pauca quae his obstant exempla emendanda esse apparet.

Ad. 127 Umpfenbachius Bembinum secutus scripsit:
tun cónsiliís quicquam || a, si pergis abiero
libri Calliopii: *tun consulis*, quod Fleckeisenus recte recepit.

Trin. 594 *in ámbiguóst etiam nunc quid ea re fuat* scribendum est, quod Ritschelius proll. CCXIX proposuit: *in ambiguo etiamnunc est.*

Curc. 219 *valétudó decrescit, adcrescit labor* corrigi velim: *valetúdo iam decrescit,* correpta altera syllaba.

Poen. prol. 53 *Carchédoniús vocatur haec comoedia* restituendum censeo: *vocátur Carchedónius.*

Amph. 74 *quasi mágistratúm sibi alterive ambiverit* Fleckeisenus ipse correxit epist. crit. p. XVI.

Cist. II. 3, 71: *prior pósteriór sit, et posterior sit prior* scribendum est: *priór postérior sit et posterior prior.* cf. Mueller. pros. 132 et 684. Alterum *sit* eiciatur necesse est, non prius, ne posterior bis eodem modo acuatur.

Haut. Sulp. Apoll. perioch. 1. *in mílitiám proficisci*
gnatum Cliniam
fortasse metiri licet: *ín milítiam prŏficisci* cf. *prōterve* Hec. 503.

Merc. 239 et 676 iam G. Hermannus et Ritschelius correxerunt. Nunc intelleges in versu illo commemorato

(Trin. 397) *exanimo* non eo excusari, quod sit choriambica vox. Neque quod Fleckeisenus Capt, 148 scripsit ferri potest, sed librorum scriptura tenenda est.

Dec. Lab. 118 *non flexibilém me concurvasti ut carperes* cum Buechelero *flexilem me* vel cum Bothio *me flexibilem* scribendum est.

Syr. sent. 463 *pro médicinást dolór dolorem qui necat* in suspicionem cadit etiam propter iambicum verbum tertii pedis. Pro *medicinast* restituendum puto *remediost*, quorum duorum verborum similis confusio reperitur in sententia Turicensi 657 cf. Woelfflini proll. 48. Ut vocem iambicam amoveamus, Bothius fortasse sequendus est ad hunc modum:

pro remediost dolorem qui dolor enicat.

Praeferendum tamen mihi videtur:

dolor dolorem qui necat, pro remediost.

In propatulo igitur est omnia verba polysyllaba quae in spondeum vel anapaestum exeunt, ita non admissa esse ut ultima in arsin alterius pedis caderet. Quod si in altero pede vituperatur, multo magis in tertio vetitum fuisse consentaneum est. Nullo modo igitur ferre possum quod Geppertus scripsit:

Epid. III. 3, 37 *quae hic ádministrarét rem divinam tibi.*

Prorsus recte codices: *quae hic ádministráret ad rem.* Saepe enim *administrare* idem est atque *administrum esse;* quin haec significatio primitiva est, ut *ministrare* = *ministrum esse* [1]). Etiam Stich. 397 administrare pro intransitivo accipi potest.

Merc. 774 Ritschelius, ut brevis sim, Mil. 828 Lindemannus, Capt. 664 Fleckeisenus, Cas. II. 7, 1 Geppertus, Epid. III. 4, 71 Brixius (Fleck. ann. 1870. p. 767.) emendavere.

Rud. 888 scripsit Fleckeisenus:

---

1) exempla multa nunc habes in Henzeni act. fratr. Arv. p. 42.

nam in colúmbarí collum eius hau multo post erit
libri omittunt *eius*. A. Spengelius T. M. Plaut. p. 212 cum hiatu: *nam ín columbári*, Brixius ad Men. 105: *nam in cóllumbári*, quorum neutrum probo. Scribendum erit: *namque ín columbári.*

Rud. 1341 libri et Fleckeisenus:

isque in potéstatém meam pervenerit.

Non commendaverim, quamquam defendi potest: *isque in meam potéstatém pervenerit.* Potius aliquid intercidisse arbitror velut:

isque in potestátem rursum meam pervenerit.

Cist. I. 3, 8 *fuere Sícyoní iam diu Dionysía*
post *Sicyoni* inserendum est *hic.*

Merc. prol. 50 *perfidiam iniústitiám lenonum expromere* Bothius, Ritschelius, Reinhardtus (Studem. Stud. I. p. 87.) transponi volunt alius alio modo, quorum tamen Ritschelius solus metrum sanavit proponens: *perfidiam lenonum iniustitiam.* Etenim Bothii Reinhardtique transpositione: *lenonum* (vel *lenonem*) *perfidiam iniustitiam* falsus anapaestus infertur. Displicet igitur etiam quod Geppertus scripsit

Poen. V. 3, 11 *cognóscin Gíddenemém veterem ancillam tuam*

quem locum Muellerus pros. 698 expedivit.

Amph. 36 *iusta autem ab íniustís petere insipientiast* proposuerim: *iusta aútem ab iniústis petere est insipientia.*

Eun. 836 *viden? || video. || cómprendí iube quantum potest* cum Bentleio scribas necesse est: *cómprehéndi iúbe.*

De Haut. 147 cf. quae supra p. 23. diximus.

Haut. 543 *et nunc quid éxpectát, Syre? an dum hic denuo* magis placebit: *et quíd, Syre, nunc expectat?*

Ad. 463 *quem fratri adóptandúm dedisti, neque boni* scribas: *quem fratri adoptándum tu dedisti.*

Andr. 718 *amicum amátorém, virum ín quovis loco* Bentleius, quo erat acumine ingenii, animadvertit *amatorem* ad sensum totius loci non quadrare. Eo autem quod

proposuit: *amicum tútorém virum* e. q. s. versus non sanatur eadem accentus offensione relicta. Quapropter collato versu 813 proposuerim:

amicum, defensórem, vírum in quovis loco.

Pac. 356 *qua te ád plicavistí tam aerumnis obruta* codd.: *tamen*; itaque scribendum est: *qua te adplicásti tamen aerumnis obruta*, cum verba Prisciani: „invenitur tamen etiam cum praepositione in avi faciens praeteritum, sed in raro usu" vix obstent.

Iuv. 4 *tamén mea ex superét laetitia*

si recte Ribbeckius haec verba in senariis numerat, metiendum erit: *tamén mea exsúperet laetitia.*

Caec. 13 *iam dudum dépopulát macellum . . .*

quod si priorem partem septenarii vel octonarii iambici ducis, offensione caret. Si senarium praeferes, scribendum erit: *depoplat.*

Varr. Marcip. scripsit Riesius p. 161:

Propontis unda quam liquenti caerula
natantem pérfundit cape.

Buechelerus N. 273 recte: ⏑—⏑— *natantem perfundit cape.*

Inscr. XXXIII. 14 *sei in vita iúcundá voluptatei fuei* etiam contra prosodiam peccatur, quare recte Schraderus *iucunda ac* scripsit.

Cum verba iambica in tertio pede repudiasse didicerimus poetas, ne ea quidem admisisse par est quae paeonem quartum aequant. Duo tantum exempla inveni apud Terentium:

Hec. 710 *amarae mulierés sunt, non facile haec ferunt* quod transponendo sic corrigo: *amarae sunt mulieres.*

Andr. 745: *quid turbaest apud forúm? quid illi hominum litigant?*

apud forum pro uno verbo habendum est. Restituendum puto: *quid turbaest ad forum?*

Saepissime autem haec verba legimus in quarto pede ut:

Trin. 186 *hascine propter res maledicas famas ferunt*

Haut. 914 *quidní? quo verba facilius dentur mihi*

Mil. 91 *ait sese ultro omnis mulieres sectarier*

Neque hos locos vexabis, quoniam ne iambicas quidem voces hoc loco poetae detrectaverunt. Plauti numeravi 85 exempla [1]), Terentii 30, titulorum 3, Com. frg. 8, Trag. frg. 4, Varronis 2, et Lucilii et Ciceronis 1, Syri 9. Inter quos locos multi ita se babent, ut voces illas subsequantur spondiacum vel anapaesticum, deinde iambicum verbum. Facillime in his poetae accentus offensionem evitare poterant, si verba alio modo collocavissent velut Trin. 186: *famas maledicas ferunt* pro *maledicas famas ferunt,* Haut. 914: *dentur facilius mihi* pro *facilius dentur mihi;* quod cum nunquam fecerint, haud paulum confirmatur sententia mea, ex qua contra Luchsium exitus tales *facilius mihi, maledicas ferunt* corrigendos esse supra contendi.

Ut spondiaca et anapaestica verba in quarto pede non impugnanda sunt, si quintus sextusque pes uno verbo expletur, ita eadem condicione admissa erant polysyllaba quae in spondeum vel anapaestum exeunt.

Atque primum quidem verba molossica sic leguntur sine offensione:

Pseud. 883 *ut quisque quidque cónditúm gustaverit*

Men. 102 *tantas struices cóncinnát patinarias*

Cas. prol. 59 *ea propter una cónsentít cum filio*

Stich. 194. Men. 702. Most. 656. Pers. 160. Merc. prol. 15. Aul. 568. Amph. 42. 100. 490. Capt. 192. Rud. 14. 89. 91. 461. Curc. 371. 380. Poen. prol. 7. 28. III. 3, 20. V. 1, 26. 6, 4. Cist. II. 3, 86. Phorm. 619. Haut. 290. Hec. 623. 506. Com. frg. Naev. 24. Aquil. 10. Afran. 56. Pomp. Bon. 86. Nov. 108. Dec. Lab. 77. 148. Trag. frg. Liv. 40. Enn. 286.

---

1) Bis Geppertus sine caussa talia verba intulit. Poen. prol. 118, ubi librorum scriptura servanda est, et III. 5, 36 quem collato v. 26 melius sic scribas:

qui ad te trecentos Philippos hos modo detulit.

ex inc. inc. fab. 17. Varr. Buech. 427, 1. Etiam Merc. prol. 6:

eadem latine M é r c a t ó r Macci Titi

duo ultima verba tam arte cohaerent, ut *mércatór* poetae licitum fuerit.

Recte autem recepit Ritschelius Hermanni coniecturam Trin. 550, quae Ambrosiani scriptura confirmatur. Idem correxit Pseud. 456, Bothius Poen. V. 2, 145, Bentleius Mil. 502.

Cas. II. 8, 11 *stimulorum loculus! p r ó t o l l ó mortem mihi*

restituendum: *mortem protollo mihi.*

Rud. 1195 *ego hodie, quod neque s p é r a v í neque credidi* libri omittunt *quod.* Fortasse scripsit poeta:

ego hodie, numquam quod speravi aut credidi;

postquam *a u t* post *sper a u i* excidit, ortum est quod nunc in scriptis legitur.

Truc. I. 1, 45 *nam nunc lenonum et s c ó r t o r ú m plus est fere*

Ritschelius Op. II. 386 *hic* inseruit post *scortorum;* eadem medela adhibenda est v. 43.

Cist. II. 3, 72 *prius hanc compressit, quam ú x o r é m duxit domum*

propono: *priús compressit quam uxorem hanc duxit domum.*

Molossicis verbis absolutis ad cetera verba polysyllaba transgredimur in spondeum exeuntia. Atque sine offensione leguntur:

Rud. 1246 *semper cavere hoc s á p i e n t í s aequissumumst*

Hec. 488 *amoque et laudo et v é h e m e n t é r desidero*

Capt. 85. 86 (ubi etiam metiri licet *rédiĕrúnt*) Poen. I. 1, 27. II, 50. Cas. II. 5, 20. Cist. I. 3, 23. II. 3, 33. Enn. 174. Pac. 278. Naev. Com. 136. Fortasse etiam Andr. 767 ferendum est:

o, fácinus á n i m a d v e r t e n d ú m! || quid clamitas?

quamquam facile est corrigere: *o quid clamitas.* Bacch. 331 Bothius correxit.

Restant verba choriambica his locis admissa:

Trin 476 *et quod illi placeat, práeripiám potissumum*

Stich. 659 *saltationes, blándititiás, prothymias*

Most. 3 *egredere erilis pérmiciés, es aedibus*

Trin. 184. Mil. 18. 845. 1110. Bacch. 151. Pseud. 1048. Men. 254. Capt. 671. 723. 725. Rud. 93. 113. 473. 515. 855. Poen. arg. 1. prol. 66. I. 1, 64. III. 5, 29. Cas. prol. 13. Amph. arg. I, 8. Truc. II. 3, 23. Andr. 568. Haut. 481. Caec. 59. Tit. 95. Dec. Lab. 106. Syr. sent. 282. Pac. 233. Varr. Buech. 6, 1. Cetera sollicitanda erunt. Atque Bacch. 144. 246. 348 iam Bothius, Trin. 582. Most. 414. Ritschelius, Truc. II. 4, 77 Buechelerus (Fleck. ann. 1872. p. 571.), Poen. V. 2, 98 Muellerus (pros. p. 10), Phorm. 590 Fleckeisenus correxerunt.

Inscr. XXIV, 4 *have et vale, quae optas, éveniánt tibi et tuis*

ib. XXV, 1 *bene valeas, quae optas, éveniánt tibi et tuis* in prototypo carmine *evenant* fuisse veri simillimum est.

Rud. 27 *quam qui scelestust ínveniét veniam sibi*

libri: *scelestus est*, quare scribi volo:

quam qui scelestus est veniam inveniet sibi.

Epid. III. 4, 10 *nam strenuiori déteriór si praedicat*

scribe: *si deterior.*

Cas. IV. 1, 13 *sed nimium lepide dissimulánt, quasi nesciant*

Quod rescriptus in fine exhibet, recte Geppertus interpretatus est: *quasei sei nesciant.* Quapropter non dubito quin versus sic sit restituendus:

sed nimis dissimulant lepide, quasei sei nesciant.

Quod Spengelius Truc. II. 4, 75 scripsit, sanum sensum non praebet. Hauptius, Kiesslingius, Brixius recte ex codicum scriptura elicuerunt:

sic facito. || *quicquid attulerit, boni consulas*
nisi quod praetulerim: *quicquid adferet.*

Quinto denique loco omni modo polysyllaba verba adhibuerunt poetae praeter ea quae iambo finiuntur. Exempla habes in Ritschelii prolegomenis p. CCXIX.

De singulis haec hactenus. Iam vero ut in universum iudicium de formatione senarii feramus, in tertio pede i. e. in medio versu verborum accentus et ictus rhythmici semper concinerent oportuit, in altero et quarto, tertio proximis, sola fere iambica verba, ceteris quodammodo leviora admissa erant, primo loco et ultimis, qui maxime distant a tertio, omni modo verborum accentum neglegere licuit. Existumo autem me demonstravisse, hunc concentum consulto a poetis factum esse. Etenim multa exempla specie contraria revera non obstare aliaque etiam aliis ex caussis suspecta esse ostendi, ut pauca restarent, quae propter accentus solam offensionem in dubium vocavi. Neque quisquam de corruptela eorum dubitabit, qui sciat, quam male scaenici nobis traditi, quam saepe verborum ordo in aliis codicibus alius, quantopere praesertim in Terentium recensores grassati sint. Quod vero maximum est et omne in hac quaestione facit momentum, titulis corruptelam perpetuam non expertis observationes illae optime confirmantur. Minime tamen is sum qui negem, caesuris semiquinaria et semiseptenaria poetas ut accentus cum numeris conciliarent studentes aliquantum sublevatos esse, sed his solis non omnia quae observavimus efficiuntur. Namque ut hoc unum in fine disceptationis meae premam, in altero pede iambica quidem verba non ita frequentia sed admissa fuisse vidimus, spondiacorum autem numerum tam parvum ut de corruptela eorum locorum ubi leguntur cogitandum fuerit. Quomodo igitur caesuris hoc discrimen inter spondiacas et iambicas voces explicari potest? Vera caussa haec est, quod in vocibus iambicis, quippe quae ceteris leviores sint, accentuum et numerorum discrepantia non aeque male ad aures accidit

atque in spondiacis. An forte erunt, qui hanc rem mirantes linguam latinam caussam fuisse sibi fingant ut iambicis verbis locupletiorem quam spondiacis?

Ego vero tantum abest ut existumem omnes locos qui corrigendi sunt ad pristinam formam me redegisse, ut sperem fore qui meliora non numquam meis inveniant; quos de corruptelis saltem locorum mecum consentire satis habebo.

Oscar Brugman de vita sua.

Natus sum Mattiaci a. d. VI non. Julias a. h. s. LI patre Guilelmo matre Christiana Enders. Litterarum rudimentis institutus patriae urbis adii gymnasium, cuius per novem annos fui discipulus. Verno a. LXX tempore Lipsiam me contuli studiis philologicis operam navaturus ibique ter sex menses commoratus Bonnensem subii disciplinam celebratissimam, qua ad hunc usque diem frui licuit. Docuerunt me Brockhaus, Curtius, Drobisch, Langer, Lipsius, Ritschl, Voigt, Zarncke Lipsienses; Bergk, Buecheler, Dilthey, Hiller, R. Kekulé, J. B. Meyer, Reusch, Joh. Schmidt, Simrock, Springer, de Sybel, Usener, Varrentrapp Bonnenses. Lipsiae praeterea per sex menses societatum sodalis fui et grammaticae Curtianae ordinarius et philologae Ritschelianae extraordinarius. Ut in seminarium philologorum Bonnense reciperer eiusque essem per quattuor semestria sodalis ordinarius, singulari Buecheleri, Heimsoethi, Useneri erga me benevolentia factum est. Denique participem exercitationum suarum me benigne admiserunt philologicarum Buecheler, Hiller, archaeologicarum R. Kekulé, epigraphicarum Buecheler, philosophicarum J. B. Meyer. Quos viros egregie de me meritos esse laetor. Praeter ceteros vero Fr. Buechelerum et H. Usenerum, qui omni tempore consilio et adhortatione humanissima me adiuvere, pio gratoque animo colam.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 356 3

Themata.

I. Cum fabulae Plautinae et Terentianae canticis finiantur, neque prior Poenuli neque alter Andriae exitus genuini sunt.

II. Hym. hom. VI. v. 21 insiticius est.

III. Stare nequit, quod Mommsenus Corp. Inscr. I. 200, XXXVII supplevit: „*sei quid publicanus eius rei causa sibi deberi* dareive oportere de*icat de ea re co(n)s(ul)* — — — — *recuperatores ex ci*vibus L, quei classis primae sient, XI dato.“ Scribendum est: *deicet.*

IV. Satis debili causa nisus O. Schneiderus (Callim. I praef. XI sqq.) archetypum illud Byzantinum hymnorum Callim. Hom. Orph. saeculo XI assignavit, cum quo tempore illae minutiae orthographicae Byzantii invaluerint minime constet.

V. Catenatas Iuvenalis (III, 304) tabernas propterea dixit, quod ne nocte auferrentur catenis adligabantur.

VI. Pamphum hymnographum primitus lucis numen ut Olena, Musaeum, Orpheum fabulis magis quam historiae ascribendum esse praeter Hesychii glossam: *Παμφίδες* e. q. s. Plutarchi quoque fragmento (schol. ad Hes. Op. et D. v. 421) evincitur.

VII. *eccum*, *eccam*, *eccos*, *eccas* sicut *ecce* sunt casus obliqui eiusdem stirpis pronominalis *eko*, cuius in lingua Oscorum formae: *eka*, *ekak ekass* similes extant.

VIII. *βασιλέος* farma ex *βασιλῆος* ea lege orta est, qua vocalis ante vocalem corripitur, non ut omnes volunt ex *βασιλέϝος* digammate eiecto.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 062 356 3